



PROLEGOMENA.

CAP. I.

Ostenditur leges & ritus Judaicos non sine ratione a Deo institutos.

DUM leges Evangelicæ *δεικνόντες ἑλεγχον*, demonstrationem veluti *connatam* ferunt, earumque rationes, ad instar mulieris apocalypticæ, ipso quasi sole vestiuntur; legum Mosaicarum causæ nobis adeo obscuræ sunt & vetustatis tenebris involutæ, quod multorum oculos penitus effugiant. Obscuritas illa duplici opinioni causam præbuit: nam,

PRIMO: nonnulli leges eas omnes sine causa datas, & earum rationem nullam, extra summi legislatoris voluntatem, quærendam opinantur. *Sunt*, inquit ^a *Maimonides*, qui nullam præceptorum causam querunt, sed dicunt omnia solam Dei voluntatem sequi. Opinioni hujusce patroni fatentur quidem, leges, in genere spectatas, rationi consonas, & optimo consilio sanctionem suam debuisse. Cum enim Deo jam res esset, cum præfracto, rudi, & semipagano populo; par erat, ut legibus hisce ritualibus, solum τὸν ἕξω ἄνθρωπον exercentibus, gentem tam rudem ad obsequium erudiret, & jugum imponeret ad indomitæ illius juvenæ ferociam frangendam aptum & accommodatum: at, inquiunt, modo leges eas sigillatim contemplemur, nullæ sunt quas ratio commendat, aut in quibus ullos nisi arbitrii supra omnem rationem positi characteres præsentiscit.

Deum leges rituales sine ratione tulisse creditur.

Huic opinioni nullo non ævo quamplurimi è Judæis impense studuerunt, ne doctrina de legis perennitate, quam fidei suæ fundamentis annumerant, in dubium vocaretur. Nam auctor lib. *ikkarim* vel de fundamentis Legis, Dei legem in tres partes dividens, *prima pars*, ^b inquit *מִצְוֹת* continet aut præcepta ad Dei scientiam vel intellectum originem suam referentia, &c. *Secunda pars* ea est, quæ continet *הַרְבֵּי הַמִּצְוֹת* præcepta quæ Deus ex beneplacito suo instituit; eaque proveniunt ex Dei absoluta voluntate, atque indicant Deum esse eum qui vult. Vocatur autem hæc, *חֻקִּים* statuta, atque continet omnia præcepta quorum ratio ignota est; ex gr. prohibitionem esus carnis suille, amictum heterogeneum, præceptum de non serendo diversa semina, de immolanda vacca rufa, & similia: quæ omnia sunt ex decreto & arbitrio regis Dei, & sunt mandata ex ipsius beneplacito, &c. Atque hæc opinio, Maimonidis ævo, tot Judæorum animos occupavit, quod illius refellendæ gratia, librum illum aureum, cui titulum fecit *More Nebhochim*, in lucem dedit. Hoc ex interprete suo ^c *Buxtorfio* discimus, libri illius scopum & scribendi causam in hunc modum referente; quia a multis tum temporis asserbatur, præcepta Mosaica nullo deliberato consilio, nullas certas ob causas, a Deo data esse, sed solum ex mero ipsius beneplacito & voluntate proposita; ideo contra hos disputat Maimonides, tum in genere, tum in specie, &c.

a Judæis.

Eandem sententiam Christianorum etiam nonnullorum suffragiis ornatam reperimus. Inter eos notæ primariæ *Bochartus*, auctor de re literaria præclare meritus; postquam enim quæsisset, quorsum Deus lanæ cum lino mixtionem vetuit, cum res

& Christianis nonnullis.

^a *Maim. Mor. Neb. p. 3. c. 26.*

^b *Discurs. 3. t. 24.*

^c *Præfat. ad lector.*

I Apud *ikkarim* legitur *דְּבָרִים*.